



# NOVA POSONIENSIS.

ANNO CHRISTI MDCC XXII.

DIE X. JUNII.

**M**

*Adritti, a. d. 30. April.*

Ex quo tempore, rex nuntios, a magno Hetruriae duce, Aquaviua, purpurato, qui iam Romae viuit, duce Parmensi, & quibusdam legatis, missos accepit, patres, quos consiliorum ille facere solet, participes aliquoties conuocatos, audiimus, e quibus Ledijs, *Marchio*, postquam regi valedixerat, & diu multumque ante abitum colloquutus erat cum Grimaldo, qui praecipua reipublicae negotia tractat, in Galliam profectus est. Militibus, qui in vicinis Calpe Regionibus presidii causa, confederant, alia nunc adsignata fuere hospitia, in eorum autem locum equitum aliquot turmae, pedumque cohortes succedent.

*Lutetia Parisiorum, a. d. 15. Maji.*

Manat hic, sed obscura, fama, qua imperator Romanorum Hetruriae, Parmae, & Placentiae ducatus, electoris Bauariae filio principi destinasse fertur, siquidem is Archiducem Austriae, filiam Josephi nati secundam, in matrimonium duxerit. Propterea enim Regem Hispaniae rogasse, quidam aiunt, Genuenses, ut copias, quibus obniti cupit imperatoris consilio, per terras illorum sibi transducere liceret. At enim, quaecunque isthaec omnia ratione vulgo iactentur, aequae tamen illa incerta esse, arbitramur, atque ea, quae de Gallorum exercitu ad Rhenum ducendo, rumor, incerto auctore, disseminauerat. Nihil enim minus fouere videtur dux Aurelianus, quam belli consilia, a quibus eum potius hoc tempore valde abhor-

rere nouimus. Præteritis diebus, Lau-  
næus, qui numophylacio præfectus est,  
in fanum, quod a diuo Dionysio acce-  
pit nomen, se contulit, coronasque lu-  
strauit oculis, Henrico IV. Ludouico  
XIII. & Ludouico XIV. regibus olim  
impositas, quarum exemplo suam sibi  
rex coronam confici iubebit. Sunt, ta-  
men qui regem, mense demum Maio  
futuri anni regno inauguratum iri, per-  
hibent, propterea quod, more in Gal-  
lia recepto, maturus tunc imperio rex  
deklarabitur. Superioribus diebus, re-  
gina cum Ventadouria in *abbatiam*, quæ  
a diuo Victore accepit nomen, concessit,  
& P. Simonium, qui vitæ innocentia, &  
sanctitate vnus fere omnium inter or-  
dinis sui viros excellere videtur, mag-  
nopere rogauit, vt pro ipsius Regisque  
salute vota deinceps nuncuparet. Nu-  
dius tertius, Ledijs, *Marchio*, ex Hi-  
spania in hanc venit urbem, vt quo-  
rundam tamen fert sententia, in Bel-  
gium, quo res eum vocant domesticæ,  
propediem abibit. Equidem Patres,  
qui superiori adscripti sunt curiæ die  
9. Maii quosdam ablegare decreuerant  
ad Regem, qui peterent, vt priuilegia  
ipsis adempta clementer denuo redde-  
ret, sed litteras pridie eius diei acce-  
perant, regio obsignatas sigillo, quibus  
a tali rex eos proposito grauissime de-  
hortatus erat.

*Londini, a. d. 17. Maji.* Inuentus hic  
non nemo fuit e nostris, qui Sunder-  
landii, *comitis*, nuper mortui, vitam  
conscriberet, eiusque elogium palam  
ederet, quo commemoratur, qua ratio-  
ne ille, anno 1697. inter patres curiæ  
inferioris, & postquam anno 1702. bo-  
norum & titulorum quibus pater eius  
olim erat ornatus, particeps factus fue-  
rat, in curiam superiorem adlectus est.  
An. 1706. cum Anglia Scotiaque, Annæ

reginæ auspiciis, feliciter coniungere-  
tur, e procuratorum is fuit numero,  
& sequente anno, regni commenta-  
riensis creatus est. Postquam autem  
rex, qui hodie scepra tenet, peruene-  
rat ad imperium, Hiberniæ quidem  
prorex fuit creatus, quoniam tamen  
illius præsentia Britannorum regis ratio-  
nibus admodum proficua esse videba-  
tur, numquam in eam dimissus fuit re-  
gionem. Post, ob egregia in regem &  
in Rempublicam merita, variis amplis-  
simisque admotus est muneribus. Præ-  
terquam enim, quod regiæ præficere-  
tur pecuniæ, præcipuus inter eos fuit,  
qui Regi esse solent ab interioribus cu-  
bicali. Equidem illi, qui societatem  
austri moderantur, præfectum ærarii  
eum constituerant, sed haud adeo diu  
eundem tenuit locum, in quem Rober-  
tus Valpolus postmodo successus fuit.  
Dici autem non potest, quam eximio  
is amore litteras, earumque cultores  
fuerit prosequutus, & bibliothecam ex-  
quisitissimam, inter Europæ præcipuas  
merito numerandam, instaurauerit.  
Ipsi hostes, quos recte faciendo nactus  
erat, doctrinæ & prudentiæ laudem illi  
vltro tribuunt, atque his eum effecisse,  
aiunt, virtutibus, vt omnibus timen-  
dus pariter ac honorandus esset.

*Alia indidem.* Numerus Patrum, qui  
comitiis publicis interesse debent, non-  
dum adhuc complectus est; eorum e-  
nim, qui iam electi sunt, numerantur  
492. cum tamen 558. esse oporteat.  
Eques Jenninghius magna celeritate  
vsus, ad naues, quæ in mare Balthicum  
destinatæ sunt, lustrandas, discessit.  
Proximis vero diebus rex complures  
legatos ad reges quosdam trans mare  
misit, qui res maximi momenti eis nun-  
tiarent. Ornantur etiam naues aliquot  
bellicæ; ii autem quibus oræ mariti-  
mæ

mæ custodia commissa est, nauigia omnia in promptu habere oportet. Townshendius regni Commentariensis ad præfectum vr̄bis nostræ, de consensionis quodam globo mature detecto, detulit, eique simul adseueravit, nullum ex principibus exteris eius rei fuisse conscium; sed quam plurimos ex iis, qui regi sunt subditi, equitis Georgiani causa tumultum excitare decreuisse. Diem vero ab iis præfinitam fuisse 21. Mensis præsentis, qua natalis equitis S. Georgii recurrit, qua signo dato, omnia tumultu complere decreuerant. In machæropæi cuiusdam ædibus magnam gladiatorum copiam fuisse repertam certum est, quibus hæc verba insculpta fuisse perhibent. *Pro Jacobo III. & Patria omnem profundere sanguinem paratus.* Ducem Ormondium in Hibernia iam esse perhibent. In scotia autem quendam summæ dignitatis virum in custodiam coniectum esse nuntiant. Constans iam atque omnium ore celebrata fama est, magnum sine mora numerum militum Gibraltariam atque in Portum Magonis missum iri; vnde coniecturam capimus, regem nostrum ex inusitato, qui in Hispania sit, apparatu bellico, suspicionem traxisse haud inanem, ea imprimis loca peti, nouumque sibi impendere bellum. Qua de re nequaquam dubitandum est, si ea, quæ de conspiratione a Townshendio detecta narrant, vera certaque sunt. Ceterum id omnino constat omnibus, fasciculum litterarum apud illustrem quendam virum fuisse repertum, in quibus ea erant, quæ omnes admirari oportet. Et licet Dux quædam femina litteras eas occultare voluerit Townshendius tamen atque Carteretus, qui præcipua in regem atque Patriam sunt fide, id ipsum prohibuerunt, atque simul ac scriptorum

illorum sunt potiti, Patribus concilii sanctioris ea tradiderunt. Vt ut vero se hæc habeant, protinus tamen Hurstius *Cbiliarcha* in Hollandiam, Horatius Walpolus in terras Hannoueranas, Churchillus autem *Cbiliarcha* in Hispaniam, acceptis a rege mandatis, abierunt.

*Holmia a. d. 14. April.* Bestuchouius Russorum legatus cum iis quos Rex arcanorum habet arbitros, consilia quam sæpissime confert, quare complures in eam adducuntur sententiam, vt fœdus aliquod commerciorum causa, a Russis suecisque constitutum iri, arbitrentur. Cedercreuzius, quem legatum rex noster destinarat in Russiam, complicatis nunc reculis, Petriburgum profectus est. Qui de Regis itinere in Germaniam rumor exierat in vulgus, ille nunc plane euanuit. Quemadmodum e litteris, Hassnia ad nos perlatis cognouimus, copiis, quæ statua adhuc habuere in Noruegia, præceptum fuit a Danorum Rege, vt ad iter se pararent, & proximo quoque tempore castra mouerent. In eadem urbe naues aliquot maiores instrui armarique, aiunt, quæ, ventum nauctæ idoneum in aquam deducentur.

*Haga Comitum, a. d. 20. Maji.* Magni Russorum Ducis legatus, qui hic nobiscum viuit, nuntiatum sibi esse ait, Tolstoyum, consilio sanctiori adscriptum, virum artibus optimis instructissimum atque ornatissimum, in Astracanam atque Casanum regnum profecturum, atque res, quæ extra regiones Russicas geruntur, obseruaturum. Eodem etiam Casimirum, Valachix principem, linguarum, quibus populi orientem versus habitantes vtuntur, peritissimum, commigraturum, sociumque itineris Duci se adiuncturum aiunt. Tametsi vero maximæ iam copix ad limites Persidis profectæ sunt, pluresque aliæ in

mandatis acceperunt, vt priores illas sequantur; nihil tamen aliud moliri Ruffiæ Ducem aiunt, quam vt rebelles illos Perfæ, qui magno nuper mercatores Rufficos adfecerunt damno, nifi id refarcire vltro voluerint, armis atque vi adhibita cœerceat. Romadonofzkyus princeps, filiam suam, quam habuit vnicam *Comitis Galofskinii* filio nuper in matrimonium dedisse perhibetur. Princeps vero *Truboskoyus* filiam *Golofskinii Comitis* natu minimam sibi desponsauit. Sed *Valenskyus* princeps, idemque *Astracani* præfectus, primo quoque tempore *Nareskiniam* principem, Magno Rufforum Duci propinqua cognatione coniunctam, matrimonio sibi iuncturus dicitur.

*Vienna, a. d. 3. Junii.* Die 30. Maji annuente Imperatore Augustissimo fœdus matrimonii inter serenissimam *Archiducem Mariam Amaliam*, *Josephi Imp.* filiam, atque principem *Electora-lem* *Bauariæ*, *Carolum Albertum*, est conciliatum.

*Alia, a. d. 6. Junii.* Hesternæ die publici delectus militum, non in vrbe solum, sed in suburbiis quoque haberi cœpti sunt.

*Pofonii, a. d. 10. Junii.* Quoniam rumor, qui nuper in vulgus emanauerat, publica regni comitia dilatum iri aliquantisper, inanis erat neque sibi confans, eo maiori iam studio omnia in vrbe nostræ parantur, quæ ad celebritatem illam videntur pertinere. In primis magna curarum parte exonerati sunt vrbis nostræ Patres, quod substruendo ponti necessarias naues optimus Rex benignissime eisdem indulfit; contignationem tamen & tabulata pontis suo sumtu parare habebit necessum ciuitas nostræ. Sed quod hospitiorum aulam etatores nondum adhuc aduene-

re, coniciunt inde nonnulli, vix hoc mense, sicuti vulgari cœperat, urbem intraturum Casarem. Alioquin multorum manibus hic teri videmus *Historiam Magnæ illius Legationis Casaræ, quam fortunatissimis Caroli VI. auspiciis suscepit Illustrissimus quondam & Excellentissimus S. R. I. Comes Damianus Hugo Virmondus, Maximi Casaris nuper ad Possarouicium Caduceator, eiusdemque ad Portam orator.* Conscripsit eam *Gerardus Cornelius Drieschius*, Legato ab Epistolis & Historia, impleuitque abunde boni Historici partes. Præterquam enim quod res gestas copiose ac summa cum fide enarrat, dictionem profecto obtinet, sicuti non superbam ita castam & rebus a prime conuenientem.

P. S. Rogandos voluit illos Lectores Patronosque suos Typographus, qui pretium, quod pro nouis hisce ex pacto soluendum est, nondum præstiterunt, vt illud quantocyus præstare dignentur, atque in antecessum, eam partem pretii, quæ in medium annum penditur, numerent. Daturus ille in posterum quoque est operam, vt expectationi omnium, quantum potuerit, satisfaciat. In primis vero curabit eo diligentius, ne per incuriam tot tamque turpes errores typographici irrepant, quemadmodum sæpe hoc tempore, factum fuerat. Suppudet sane eum illorum in primis errorum, qui ante hos octo dies in nouis a tybotheta suo fuerunt commissi: quorum præcipuos ita emendari oportuisset. V. g. linea a fine 14. pro *Demetsi*, poni debuit *Tametsi*. linea a fine 9. pro *irii* legendum est *iri* linea a fine 7. pro *accipiendo* legi oportet *accipiendo*, eadem linea indulgentissimo, s. alterum fuit omissum. eadem pag. linea a fine 37. pro *Basareæ* legendum *Casareæ*. &c. &c.